



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

Caput 33. De Christo Salvatore nostro. Tertull. adu. Iudæos caap 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

hensam damnat exilio. M. Tullius Tyro Ciceronis liber-
tus, ipse primus notas commentus est. Herodes ad ea
quæ supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit, virum
fororis suæ Salomæ interfecit; & cum eam alij tradidisset
vxorem, etiam ipsum necat. Interpretes diuinæ legis
occidit.

Colliguntur omnes anni ab Abraham vsq; ad Na-
tuitatē Christi, an. duo millia quindecim. Ter-
tullianus in eo libro quem contra Iudæos scripsit,
affirmat quadragesimo primo an. Augusti natū, & decimo
quinto Tiberij esse passum. Augustus Tiberium & Agrip-
pam in filios adoptauit. Iudas Galilæus ad rebellandum
Iudæos cohortatur. Herodes cū Christi Natiuitatem Ma-
gorum indicio cognouisset, vniuersos Bethleem paruulos
iussit interfici. Herodes morbo intercutis, & scatentibus
toto corpore vermibus, miserabiliter & digno moritur
eruciato. Augustus quinquagesimo quinto imperij sui an-
no, cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans. Inuenta
sunt hominum ^b nonaginta centena millia. Archelaus
nono anno regni sui in Vienna vrbe Galliarum moritur.
Defectio solis facta. Augustus * septuagesimo sexto ætatis
suæ anno Atellæ in Campania moritur sepultusque est
Romæ in Campo Martio. Imperauit Tiberius annis
xxiii. Germanicus Cæsar de Parthis triumphauit. Ti-
berius multos reges ad se per blanditias euocauit, nec re-
misit quem attrahere potuit & Archelaum Cappadocem,
cuius regnum in prouinciam erat versum Agiacham
nouissimam ciuitatem Cæsaream appellare iussit. Tibe-
rius Drusum consortem imperij fecit. Drusus Cæsar ve-
neno periit anno XLVI. imperij Tiberij. Ioannes filius
Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluuium prædicans

Caput 33.
De Christo Sal-
uatore nostro.
Tertull. adu:
Iudæos cap 8.

b al. nonagin-
ta ter centena
millia.

Christum filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus IESVS Christus hic in principio salutarem iam adnunciat signis atque virtutibus viam: vera comprobans esse quæ dicerentur per Prophetas.

Capit. 3. 4.
Quâno passus
sit Christus.

Confer cum
Eusebio.

Computantur in præfenti an. id est Tiberij Cæsaris xxxiv. à secundo anno instaurationis templi, quæ facta est sub altero an. Darij regis Persarum, an. DCLVIII. à Salomone autem & prima ædificatione templi anni mille quadraginta. à Moysè & egressu Israel ex Ægypto anni mille octingenti nouem. ab Abraham & regno Nini & Semiramidis ann. duo millia quadraginta quatuor. à diluuiò usque ad Abraham anni nongenti quadraginta duo. Ipse Christus filius Dei salutarem cunctis prædicans viam miracula quæ in Euangelio scripta sunt facit. Iesus Christus filius Dei discipulos suos diuino imbuens sacerdotio, ut vniuersis gentibus conuersionem ad Deum nuncient imperat. Ipse Christus filius Dei secundum Prophetas quæ de eo fuerant prælocuti, ad Passionem venit anno Tiberij decimo quinto. Quo tempore etiam in alijs Ethnicorum commentarijs hæc diuersa scripta comperimus. Solis facta defectio, ita ut in tenebrosam noctem dies media conuerteretur, & stellæ apparent, Bithynia terræ motu concussa est, quæ omnia his congruunt quæ in Passione Saluatoris acciderant. Argumentum autem huius diei, quod Saluator isto anno passus sit, Euangelium præbet Ioannis, in quo scribitur xv. anno Tiberij Cæsaris tribus annis dominum prædicasse. In templo Ierosolymis subito erupit vox dicentium, Transmigremus ex his sedibus, Eodem anno Pilatus præses, secreto noctis, imaginem Cæsaris in templo statuerat. Hæc prima seditio & turbarum Iudæis causa